250

1510. d. 6. Xbris

Sigism: I. Rex Poloniæ Joanni Golawinski et Jacobo Roznowski:

Ex Lris Vris et ex Relatione Balinski Notarij nostri cognovimus, quod pericula nulla expavescentes curam et custodiam Castri istius nostri Marienburgæ susceperitis, quodque ut in bono statu conservetur diligentiam Vram adhibetis, facitis et rem Nobis gratam et Vra virtute dignam ideirco gratiam Vobis ampliorem debemus, hortamurque Vos: ut diligenter et fideliter custodiatis tam Arcem, quam commoda et utilitates ad eam spectantes donec aliter a nobis edocti fueritis. Etenim cum in proximo Conventu Piotrkoviensi finem cum Filio defuncti Lempowski fecerimus, instruemus Vos plenius quibus modis, quave Ordinatione Arx ipsa servanda et Gubernanda erit, et quibus salarijs contenti esse debeatis. Provisori autem ejusdem Arcis Gnoso Nicolao Sapott Castellano Gedanensi dedimus Instructionem, ut interea Vobis tam de expensis, quam de diarijs provideat, facta convenienti moderatione, et ut de tenendis Stipendiarijs in arce in Arce intelligentiam mutuam vobiscum habeat, et reliqua, quæ opus sunt, communicatô vobiscum consilio agat. Curandum etiam Vobis est, ut hæc licentia tanta prædonum cohibeatur, ut cunctis palam sit Vos isthic procurare pacem de mandato Nro istius Provinciæ Nræ. Sic facturi pro gratia Nra. Cracoviæ d. 6. Decembris. 1510.